

ces, & auditum ex alto fremitum ingen-  
 tem, vocesque minitantes, & fluuium san-  
 guine fluxisse, imbrem verò modò sa-  
 xeam, modò sanguineum, modò terreum,  
 modò lacteum descendisse: Sudasse sæ-  
 pius & interdum cruento sudore effigies  
 Deorum. Postremò quod sine risu narra-  
 re non possum, bello Marfico Lauinij in-  
 ter multa, monstrum horribile & inaudi-  
 tum, clypeos à muribus esse corrosos, id-  
 que doctis Interpretibus visum esse tri-  
 stissimum: hæc & horum simillima per-  
 facile refelluntur. Nam & plures seu Soles  
 seu Lunas videri, nō aliter euenire potest,  
 quàm duas lucernas apparere, vbi non  
 amplius quàm vna est: similiter & auditus  
 sæpè fallitur, nec vllus (vt Physicis pla-  
 cet) pigrior in nobis sensus est. Flammæ  
 autem, vel conglobatæ, vel sparsæ cælo  
 interdum volitare possunt naturaliter.  
 Solem verò per noctem apparere, prorsus  
 impossibile, cum præsentia solis vbicun-  
 que est, diem secū vehat. Fluuios fluxisse  
 sanguineos, æs sudasse, vel ebur, & quic-  
 quid eiusmodi est, videri quidem potest,  
 verum esse non potest, quod sanguis &  
 sudor nō nisi ex veris corporibus emana-  
 re queat, solet tamen vdius paries, præser-

D. iij.